

Lektion 4: Europa

Unterstreiche/Markiere alle Adjektiv- und Substantivattribute und ihre Bezugswörter!

Postea Lysander magister fabulam narrat:

„Europa, filia Agenoris, in litore Tyrio ludit; amicae quoque adsunt. Cunctae puellae laetae sunt et flores colligunt. Subito Iuppiter deus venit et Europam conspicit. Statim amor Iovem capit. ‘Quam pulchra est Europa! Fortasse puellam pulchram rapere possum!’ Iam deus in taurum magnum et niveum mutatur et ad puellas laetas accedit.”

Tum Aulus Spurium suppressa voce interrogat: “Cur Iuppiter in taurum mutatur? Ego fabulam non intellego. Num tu eam intellegis?” Spurius respondit: “Neque ego intellego. Fortasse ita est: Iuppiter puellas pulchras amat, semper eas cupit, sed Iunonem uxorem timet. Itaque nunc taurus est.”

Spuri et Aule! Cur vos non tacetis? Nonne fabulam audire cupitis?»

Tum Lysander narrare pergit:

«Europa taurum niveum conspicit et gaudet: ‘Quam pulcher taurus est!’ Eum tangit et ceteras puellas vocat: ‘Videtisne taurum pulchrum? Venite!’ Amicae veniunt, etiam multos flores apportant et magnum taurum ornant.»

Nunc Aulus magna voce magistrum interrogat: “Lysander, fabulam non intellego. Puellae timidae sunt; magnos tauros semper timent. Cur Europa taurum tangit? Nonne timent?”

Statim Caecilia dicit: “Stultus es! Non cunctae puellae tauros timent. Villam rusticam habemus. Ibi multi tauri sunt. Eos spectare, etiam tangere iuvat.” Lysander autem explicat: “Iuppiter taurus mitis et pulcher est, itaque puellae eum non timent. Europa taurum iterum tangit; etiam in tergo considit et gaudet. Subito taurus currere incipit et puellam ad mare portat. Clamat Europa misera: ‘Quo me portas, taure?’ Taurus ad insulam Cretam natat. Hic rursus in deum mutatur. Europa valde timet, Iuppiter autem dicit: ‘Noli timere, Europa! Ego non taurus, sed deus sum: Te amat Iuppiter.’”